



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 45. Patris Maldonati, ac Roserii conatus in utroque Principe ad veram fidem revocando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A.C. 1572

moderatum erat, nam is Regem his
verbis alloquebatur: „cum in Patris
„mei Religione enutritus, atque edu-
„catus sim, hancque securiorem existi-
„mem, Majestatem tuam rogo, ne con-
„scientiæ meæ vim inferre velit: nec
„sinit Deus, mi Rex, & Domine, ut
„ex his tribus a te propositis primum
„eligam; ex duobus autem reliquis al-
„terum, quod placuerit, Majestatis tuæ
„arbitrio, ac voluntati relinquo, quam
„Deus pro providentia sua regere, ac
„moderari dignetur: de cetero omnem,
„quam a fidelissimo quovis subdito spe-
„rare possis, obedientiam spondeo.

§. XLV.

*Patris Maldonati, ac Roserii conatus
in utroque Principe ad veram fi-
dem revocandi.*

Thuan. p.
836.

Percepto hoc responso Rex omnem
operam impendit, ut ambo Princi-
pes de Religionis Catholicæ veritate
convincerentur, quam in rem cum So-
rello Roserio Ministro, qui Calvinii se-
ctam nuper ejuraverat, colloquium ha-
bere constituit, cui ipse etiam Navar-
ræ Rex, Catharina Borbonia ejus So-
ror, Condæus Princeps, Maria Clivi-
ensis ejus conjux, & Francisca Aure-
lianensis Condæi Socrus intererant,
qui omnes jam olim pluribus circa fi-
dem

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

dem disputationibus cum Patre Maldonato Jesuita habitis præsentibus aderant. Ibidem Roserius tanta verborum eloquentia, & rationum pondere perorabat, ut Navarra Rex, reginæque Filia jam antea Caroli IX. minis territæ lubenti animo Religionem Catholicam amplecti decernerent: verum Condæus Princeps, cum sibi in publica hac concertatione nondum satisfactum putaret, seorsim Roserio colloquens: „Itane est, inquit, prout palam edicis, & ex animi sententia, seu potius metu adæctus contra mentis tuæ judicium loqueris?“, cum ille autem affirmaret, & multis insuper rationibus ea, quæ animo sentiret, ac in nupero colloquio produxisset, corroboraret, Princeps eidem plura edisserendi spatium relinquens subjecit: „Si ita est, quemadmodum a puero in tua, tuorumque Collegarum schola edoctus accepi, veritatis defensionem libenter capite ipso redimam: sin vero erravi, & circumventus sum, errore deposito veritati exploratæ cedendum est.“ Ab eo temporis momento Condæus Princeps circa suæ sectæ veritatem dubitare videbatur, tandemque in manibus Bourbonii Cardinalis Calvinii errores ejurabat.